



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

30. S. Hieronymus Ecclesiæ Doctor

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

quieta S. Michaëli est acceptissima. Hanc  
 solam si portaverimus ad tumulum, non  
 habebimus, quod timeamus in conspe-  
 ctu Judicis. Ut perpetuò possideamus,  
 ô S. Michaël! suscipe omnes Dominicas  
 dies, quas, per singulos annos tuo amori  
 specialiter consecratos volumus, & nobis  
 constituimus. Confirmabimus aut unâ  
 in hunc finem directâ S. Communione  
 extraordinariâ, aut S. Rosariô duplica-  
 tî, ut Archifraternitas tua aliàs celeberrima  
 in omnes transeat populos incre-  
 mentî maximî. Denique dicamus  
 Psalmum: *Benedic anima mea Domi-  
 no, & omnia, quæ intra me sunt Domi-  
 ni sancto ejus.* Demus Angelis & Ar-  
 changelis aliquod tempus vitæ nostræ,  
 ne vanitas, aut oblivio devoret.

Festum S. Hieronymi Ecclesiæ  
 Doctoris illuminatissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

**F**lli! ad speluncam Bethlehemiticam  
 nobiscum! Cernemus ibi S. Hiero-  
 nimum divinis studiis, & contempla-  
 tionibus penitus immortuum. Ah!

A a 4

quan-

quando erit finis vanitatum, & stulticiarum nostrarum, quibus diu, ac nocturne inhiamus? *Nihil cras sentit in nervo, dum animus est in paradiso.* Tertullianus. Nemo inspexerit cœlum, quin terram spernat, cœlum cupiat, Deum amet, adoret, & timeat, sibi que dicat: *Quid cum terra illi, qui possidet cœlum.* Chrysostomus.

*Instructio meritoria.*

Sed quid interrogamus de fine? Hodie cras nesciat! elevemus mentem & cor nostrum, quò vocat Deus. Quò mediò? Quadam recollectione speciali per mediam horam continuanda, & à *Lytaniis Sanctorum omnium* inchoanda. *Sic nobis oppidum carcer, & solitudo paradisi.* S. Hieron.

II.

**D**ilecte mi! Hieronymus deserit Romam, ubi mirò colebatur honore. Maluit vir Domini latere, quàm ab homine æstimari. O chare! quò longior ab hoc sæculo, eò conjunctior Deo, & cœlo. Fugiamus & nos. Non fidamus hominum judicio. Aliter opinamur.

nantur sensus; aliter Deus. Quod mundus honorificum censet, saepe in oculis omnia videntis vile, & abjectum est.

*Instructio meritoria.*

Profectò laus magna deserti, ut diabolus, qui in paradiso vicerat, in eremo vinceretur. Nec semel sufficiat, eum succubuisse. Expedi, ut quotidie nostrâ triumphetur virtute. Studeamus hodie occultæ vitæ, & pro impetrando omnis mundanæ, & humanæ laudis contemptu perfectò oremus in honorem duodecim graduum humilitatis in Christo Jesu 24. *Pater & Ave* cum Psalmo: *Domine! non est exaltatum &c.* sub hac tesserâ: *Nemini placere cupio, nemini displicere timeo. Est solus Deus, quem quero, & diligo.*

III.

**D**ilectissime! quid sibi in manibus S. Hieronymi grande saxum? Cur pectus rubescit? Itâne sanctus iudicem timet? Veniam peccatorum supplicat. Sumus & nos parati? Instat reddenda ratio. Ad hanc nos reflectamus! contremiscamus! rejiciamus mundi memo-

562 Dominica I. Octobris. SS. Rosarii.

riam! amplectamur Crucem! prope-  
remus ad pœnitentiam. Hoc sapere cum  
D. Hieronymo est.

*Instructio meritoria.*

Mortis ut recordatio sit nobis fre-  
quentissima, commendo pietati quoti-  
dianam defunctorum in cœmeterio vi-  
sitationem, ubi sæpius pro generoso sæ-  
culi contemptu, & radicato Dei amore  
recitabimus aut dolorosum Rosarium,  
aut Vesperas ex officio defunctorum, aut  
preces alias in hunc finem pro solatio ani-  
marum ordinatas. Misere mini! Mife-  
re mini! Agitur & de propria anima!

O C T O B E R.

Festum Sanctissimi, & ter Be-  
nedicti Mariani Rosarii.

EXHORTATIUNCULA I.

**Q**uanta hodie Festivitas! Dominica  
quanta! O fili! Verè nominan-  
da victoriæ dies! Quia solemnitas  
agitur, quâ innumera in mundum in-  
vecta sunt beneficia per SS. Rosarium.  
Mundus ubi esset, si S. Rosariô suô la-  
beni